



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discursus XVI. De Obligatione Filiorum, ad exhibendum Parentibus
honorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

fulunt, sunt infidelibus deteriores, eò quòd non obstantè tantà cognitionis luce, agant nihil. Nisi malum dicere, idèò Parentes hosce Infidelibus deteriores esse, quia deteriores sunt Mahumetanis, qui summam honestatis filiorum curam & gerunt & proficuntur. Audite me tandem, Dilectissimi, qui non aliud, quàm vestrum, vestrorumque bonum promovere contendo; tollite istos abusus, latrones ac fures domesticos amandate, & finite vobis tandem persuaderi; quòd unum ex precipuis mediis salutis vestra sit, recta Liberos

educatio, quos Deus vobis cum in finem concessit, ut vos, quos ad statum matrimonialem vocavit, hanc viam ad cælum perduceret. *Mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserint in fide & sanctificatione.* Salvabitur per generationem filiorum, si permanserint in fide & sanctificatione. Ita Deus ad communem omnium salutem largiatur.

1. Tom.
2. s.
Vide
Theopit.
& Hag.
in hunc
loc.



DISCURSUS XVI.

De Obligatione Filiorum, ad exhibendum Parentibus honorem.

I. **A** Pud veteres Persas duæ res magno habebantur opprobrio; mentiri, & nomina sua non extolvere. Quod attingit mendacium, non potest negari, oppido illud esse turpe; etenim si infamis est, qui monetam adulterat, jure longè majori infamis censetur, qui cor adulterare præsumpsit. Quod autem æquè probrosum sit, sua debita non expugnare, non ita manifestum est: siquidem hoc sæpenumero ex obæratu inopia potius, quàm ex culpa oriri potest. Unde Lex ista à rectæ rationis Tribunali probari, atque ut justa admitti non potest, nisi

ita explicetur, quòd nimirum per nomina & res alienum intelligantur beneficia; nomine autem obæratum Ingrati, qui suæ non respondent obligationi. Hi jure meritissimo humanæ generationis opprobrium compellendi sunt, cum ejusmodi debitum non solvant, quòd, si alius solvendi modus non suppetit, solo possunt animo expungere, amando scilicet illum, à quo boni quidpiam in eos derivatum est. Quod si ita est, inter abominabiles istiusmodi debitores meritò numerandi veniunt filii illi ingratiissimi, qui ingratiissimo tantùm animo ingens illud beneficium, quòd nascendo à parentibus acceperunt, compensare velle videntur. Quæ me hodie causa impulit,

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

ut contra hoc filiorum genus linguam meam exacuam, etsque Summam debitorum suorum commonstrem; ex quo ipsi dein inferant magnam infamiam, imò grave damnum, quod debitum non reddendo in eos resultat.

I.

II. Tam manifesta est obligatio, quã Parentibus originis nostræ causã obstringimur, ut Aristoteles eum stultis annumeret, qui eam velit in dubium trahere; hæud aliter, ac si quis disputaret, nixne alba foret, an non? Quapropter supposito hoc debito ad illius partes ac conditiones descendamus, ut omnibus manifesta fiat, gravis illa Summa, cujus solutionem naturalis perinde ac divina Lex imperat. Tria à parentibus accipimus, esse, alimenta, & educationem: & sic trinum vicissim debitores constituimur: Parentes nimirum honorandi, alendi, & iustis eorum imperiis obtemperandi.

III. Primò vitam nobis dant, & hanc accipièdo debitum quasi infinitum contrahimus honorandi & obsequendi eos, qui dederint. Inter maximas obligationes, quas natura inducit, illa est, quã suis effectus causis obstringuntur. Esse principium nature & essentia alterius ut est maxima perfectionum, quas Deus rebus creatis confert, ita cultum & venerationem quasi divinam meretur, maxime in homine, qui à Progenitoribus suis vitam adeo pretiosam accipit. Et ideo non Sancti tantum, sed Docti omnes, etiam verã fide destituti, post obligationem colendi Deum Conditorum, semper primo loco cultum posuerunt,

quem Parentibus debemus. Unde factum, ut Parentes magnis illis nominibus compellantur, quibus modò Dii visibiles, modò Dii terrestres, aut ut cum sapientissimo Philone loquamur castigatiùs, Creatores secundarum aut Conditoris Imagines, quas suo loco super terram ipse statuit, appellati sunt; ut scilicet videremus sensibilibus imperfectam ideam illius obligationis, quã DEO primo Conditori Artifici nostro obstringimur. Quia causa est, ut etiam in sacris Paginis cultus ille, qui Deo, & qui Parentibus debetur, conjungantur. *Qui timorem Dominum honorat Parentes, & qui Dominis serviet his, qui se genuerunt.* Quasi non possent invicem separari cum apud omnes, locum Dei Parentes obeineant. Et hæc etiam ratio dicitur quare præceptum de honorandis parentibus primo statim loco post præcepta ad Deum pertinentia ponatur, ut scilicet intelligatur, quòd Patres esse, sit res quæpiam confinis, & quæ mediã inter immortalia & mortalia. Ex unã parte mortale est, spectans nimirum corpus, quod mediã hac eternitate collatum est; ex altera vero immortale quidpiam est, dum nunc representat, & æternum representabit Paternitatem Dei Creatoris omnium. *Ex quo omnis Paternitas in Cælis & in terrã nominatur.* Sic pari modo hoc præceptum in capite secundæ tabule positum est, ut homines intelligerent, inter præcepta, quibus primum amare jubemur, primum quoque parentes honorare obstringimur non aliter ac inter præcepta Charitatis

Tom. I. 2.

2. 11.

S. Thom.

I. 2. 9.

200. 4. 5.

ad 4.

S. Thom.

2. 2. 9.

201. 4. 2.

Abul. in

Exod. 16.

20. 9. 17.

Har. de

leg. l. 11.

2. 11.

2. 11.

Liran.

in Dent.

2. 12. ad

ea verba: ex-

ponit

ut suas.

219

erga Deum primum illud est, quo Deum honorare jubemur. *Natura probatur affectus*, ut S. Hieronymus commentatur, *ut ordine charitatis, post verum parentem, carnis Pater diligatur & Mater.* Jam verò honor iste non in foliis tantum & floribus, ceremoniis dico externis, quæ parvo nobis stant, sed in fructibus operationum constitui debet; id quod Deus ore suo nobis commendat: *In opere & sermone, & omni patientiâ honora Patrem tuum.* Examinemus igitur non nihil filios ad normam istam, quam Deus nobis offert ad illos dijudicandos.

IV. Inprimis vult Deus, ut Parentes omni genere patientiæ honorentur, *in omni patientiâ*, supportando illorum senectutem, ut illi nostram supportarunt pueritiam. Primum veri Amoris signum, juxta Apostolum, est Patientia, quâ, qui amat, sui suorumque commodorum quasi obliviscitur, & totum se impedit Amato. *Charitas patiens est.* Et hanc perfectionem habet amor, quo Parentes in suam sobolem feruntur: id quod in ipsis etiam bestiis videmus, quæ maciem contrahunt in prole suâ educandâ, & inter millenâ pericula eam defendunt etiam cum propria, si necesse sit, vitæ jacturâ. Sic aquila, cum pullos suos ab uno loco in alterum transfert, non eas unguibus arripit, sed tergo insidentes asportat; neque enim a sublimi quidquam timet, sed ab inferiotibus; & ideo cum à terrâ telum emittitur, prius illo se, quàm pullos feriri desiderat.

V. Amor autem Filiorum in Pa-

rentes quàm rarò ad eam perfectionem pertingit! Cùm enim aut Pater aut Mater tantillum confesceat, jam illos Filii aspiciunt, ut onus intolerabile; quo aliter levari se posse non credant, nisi alis desideriorum ipsorum velocius inveceta Mors quamprimùm illos ex hac vitâ sustulerit. Despiciuntur in animo ut repuerascentes; à domûs gubernatione removentur tanquam imperiti: & nescio quam illis gratiam se præstare Filius arbitrat, cùm eos, à quibus vitam accepit, his identidem verbis affatur: Hoc vos agite, ut vivatis: regi autem vos sinite ab aliis. Verùm non iste modus est, quo debito nostro satisfaciamus:

Fili suscipe senectam Patris tui, & non contristes eum in vitâ illius, ait Dominus. Fili, exhibe te sicut babilum, ut regas atque sustineas Patrem tuum cadentem, & cave, ne unquam, dum vivit super terram, illum tristitiâ afficias. Si atas senilis judicium illi non nihil hebetarit, compatere. *Si defecerit sensu, veniam da.* Et ut ut viribus animi & corporis valere te sentias, cave ne spernas illum, ne in animo quidem: *& ne spernas illum in virtute tuâ:* quales enim & quantas ineptias in infantia nostrâ illi pertulerunt! quantam planetuum puerilium importunitatem! quos clamores, & ejulatus in nobis educandis! quàm difficiles & morosos experti sunt in rebus non nisi ad nostram utilitatem præceptis? An non igitur conveniens est, ut & nos parùm aliquid toleremus, si aut morbi miseris fastidiosi evadant, aut atate decrepiti tedeant quandoque ad primam

Ec 2 in-

Ecclesi.
7. 30.

infantiam ac balburiam? *Recribue illis, quomodo & illi tibi*, pergit Dominus, magistrum ex integro professus utilissima hujus doctrinae & summe necessariae. *Memento quoniam nisi per illos natus non fuisset.* Si Mare quoddam non fuisset, modo flumen etiam alveo tam lato ac pleno currere non videretur. Quod si igitur undas suas tributarias ad originem, unde ipsum proflixit, denique non referret, nimis quam ingratum argui posset ac debere.

VI. Et hoc longe magis ac studiosius observari debet, erga Mattes inopes, quae, quod plus amant, tanto quandoque minus à Filiis suis redamantur; & quo plus patiuntur, tanto ab iis minus ipsi sustinent ac tolerant. Filius antequam pariat, onus est matri suae; cum paritur, est dolori; & cum genitus est, labori ac defatigationi plus, quam ipsi Patri. Propterea iugum matrimoniale, quod institutum est ad bonum commune prolis, potius Matrimonium, quam Patrimonium appellatur; cum longe plus oneris in humeros Matris, quam Patris devolvatur. Nihilominus Filij animo multo magis ingrato majus debitum compensant, & quandoque majori longe patientia vetulam Servam patiuntur, quam annis gravem Matrem: ita quidem, ut omnino opus fuerit eos à Deo commoneseri, ne unquam labores ac dolores Matris ex oculis dimitterent. *Cemiterium Matris tuae ne obliviscaris*: tam parvam quandoque coram ingratis Matrum suarum habent, ut videri possint sine cujus-

Ecclesi.
2. 29.

quam alterius ope in hunc Mundum intrasse, ad modum florum in agro aut prato nulla cujusdam opera consentium.

VII. Qui ipse honor etiam verbis commonstrari debet: *honora Patrem tuum in omni patientia, & serva.* Quis ferat, si Filium sexcentis imprecationibus in eos debacchari audiat à quibus est genitus? & tamen non die has audientem Parentes, qui cum veritatem Filiis suis denunciant, fateri coguntur, à nulla se lingua acerbiora dicta excepisse, quam Filiorum suorum, plus longe amatorum quam redamantium, in vectivas, injurias, minas, quas ne servus quidem ab Hero suo patienter ferat. Et vult Deum haec audientem non sentiri. In urbe Flexiensi Regni Galliae non multo ab hinc tempore Juvenis quidam studiorum causa domum paternam reliquit: non diu absuit, cum fieri assolet, datis ad Patrem Matrisque literis, pecunias exposcit. Quae tamen, non tantum, quantum volebat, impetravit, ita ira excanduit, sumpto in manus calamo litteras indignationis plenas ad eos exaravit. Vix litterae ad parentum manus sunt delatae, cum subito ille obsurdus, in quidem, ut ne explosae quidem majoris Machinae bellicae tonitruo percuteretur. Quidquid Medici agerent, in casum ibant omnia. Desperans ergo omnibus secum animo deterrere Laurentum proficisci, in eam sanctissimam Ecclesiam, quod alio omni in loco opem desperaret, remedium exquisivit. Et ecce! Laurentum in ipso Assumptae

Virginis pervigilio appulſus, dum ſuaviter dormit, vidit Matronam ce- leſti planè vultu radiantem, & maje- ſtate humanam omnem excedente, nec aliis tunc comitibus ſtipatam, quàm Patre ac Matre ſua. Ubi Trias iſthac cubile ejus ingreſſa eſt, Virgo Dei Mater ad Parentes converſa; ve- ſtine eſt filius iſte? aiebat: & cum am- bo annuerent, reſpoſit Virgo: Placè- ne audiendæ facultatem à me illi reſti- tui? cum utroque parens: ita; Domi- na, rogamus demiffimè. Mox Diva kcto vicinas litteras ſinu prompſit, eadem omnino, quas juvenis furis aclus ad Parentes ſcripſerat; dixitque: Lege. Paulò poſt ceu placata penitus vultum caeleſti proſus ſuavitate ſere- navit, digitum unum preſurum; deum & alteri auri inmiſit, & utroque ad au- diendum poſtliminio aperto diſpa- ruit. Eo ipſo temporis momento ex- perrectus eſt juvenis, non capiente lat- ritiam peccatoris, & ſanum ſe adverrens, ènuo humillimis precibus veniam rogavit, ac poſtmodum interpoſta ju- riſjurandi religione in ſancta illa Dei Parentis Ade conſeſtatus eſt, tam ap- paritionem ſibi factam, quàm colla- tam ſanitatem, & totus à ſe mutatus abiit. In hoc mirò planè eventu ob- ſervare vos velim, quomodo in celo accipiuntur protervæ illa formulæ ac voces, quibus adverſus Parentes no- ſtros ſubinde uſuramur; quòd nimirum hæc quæquam pro levi tantùm in- dignationis, uti vos nonnunquam ar- bitramini, motu habeantur, ſed, uti ſunt, pro enormibus reputentur erra- tis; cum non tantùm Divina Juſtitia,

ſed ipſa Diva Virginis miſericordia, cujus Spiritus omni melle dulcior eſt (*Spiritus meus ſuper mel dulcis*) in e- mori mente retriceat, donec ipſi Pa- rentes pro iis veniam expoſcant.

VIII. Denique non ſufficit, hono- rem iſtum parentibus debitum animo ſovere os tolerando, aut linguâ, mo- deſtis ac manſuetis illos verbis allo- quendo, ſed inſuper etiam operibus conſeſtari oportet: *In opere & ſermone, & omni patientiâ honora patrem tuum.* Sunt nonnulli, qui ſibi Religioni non ducunt, Matrimonio ſe illigare in- conſultis Parentibus; viz ſe commit- tere & magnis itineribus, contractus quosdam agitare, amicitias contrahe- re & ſtabilitate, aliæque maximi pond- eris, & in omnem vitam redundatura negotia pertractare. Quid deinde mi- tum, ſi inſauſtos etiam exitus poſtmo- dum ſortiantur? Filius ille prodigus, qui genio ſuo indulgens precul à Pa- tre abiit, quàm graviter penitentiam ſuam luit? Et Eſau ſolum ſuum ſen- ſum ſecutus in uxore eligendâ inſeli- ciſſimi pater factus eſt populi, Idu- matorum ſcilicet à Deo maledictorum. Conſultiſſimum ſemper fuit, in omni majoris ponderis adione Majores ſuos conſulere; & rationes ſaltem audire, eaſque expendere, & nultum diuque deliberare, ſi quod eorum voluntati adverſans conſilium capiatur.

Audi Preq. 3. ſili deſpectum Patris tui, & ne dimi- tas legem Matris tue, ut addatur gratia capiti tuo. Gratia hæc, quæ addetur capiti veſtro ceu caſſis aurea, Divinæ erit proteſtio Providentiæ, quæ ceptis veſtris, favore ſuo aderit, quoties

Eccle. 24-27.

Abd. 1. 1. Jerem. 49. 4.

Preq. 3.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Instructionibus & imperiis Genitorum vestrorum contraria non erunt. Hanc gratiam ut obtineret Thomas Morus, Magnus Angliæ Cancellarius, Doctrinâ & dignitate celebris, longè autem illustrissimus Fidei, quam sanguine suo confirmavit, constantiâ, non erubescere etiam tunc, cum secundus à Rege esset, coram Patre suo in genua procumbere, ab eoque ut bene sibi precaretur, efflagitare. Et nunc temporibus nostris illi Juyenes, qui heri è pueris excellerunt, in omnibus sui esse duces volunt ac Magistri, nec Patris ac Matris unquam audire suffragium, non dico, tanquam decretum, & sententiam ultimam, sed ne quidem ut consilium, & hoc in negotiis suis quibuscunque gravissimis. *Errorem crassissimum! Judicium patris audite filii, & sic facite, ut salvi sitis.* Videtis, quantillo opus sit conatu, ut commoda vestra certò assequamini? non alio certè, quàm ut in illis pertactandis obsequium hoc deferatis iis, qui tanto vobis majores sunt; & ab his, quod magis expediens est, audire. Et vos hoc facere detractetis? *In opere & sermone & omni patientiâ honora Patrem tuum.*

IX. Altera obligatio, quâ Parentibus obstringimur, ex eo oritur, quòd nos, cum ipsi per ætatem non possemus alimenta inquirere, nutrierint & sustentârint. Unde postmodum nobis incumbit, ut, cum ipsi laboribus & operi pares ultra non fuerint, eorum curam geramus. Hæc obligatio tam est manifesta, ut etiam bruta sylvis abdita eam pernoscant. SS. Ambrosius

& Basilius concordēs testantur, Ciconias verulas non tantum à prole sua ali, sed & pennis foveri, cum ob decipitæ ætatis frigus se ipsas commoverent, non possunt; quin & supposito tempore vehiculo assumptas huc illuc asportari. Iplis etiam Leonibus humanitatis sensus inest; ita, ut cum parentes devexâ ætate ad venandum exire non valent, eorum filij cum illis prædas suas partiantur. Sequitur ergo iplis leonibus magis feros, & bellius magis insensatos esse illos filios Christianos, qui Parentes suos summa cum immanitate abijciunt, cum viribus per ætatem destituti; non perinde ac per lucari possunt, unde vivant. Vix amore puellæ cujuspiam abripiuntur illico Parentum amorem ingrati illi deponunt; & quemadmodum contingit nonnunquam, ut, cum Exteri magno numero in provinciam excederent, ipsos paulò post incolas loco intruderent, ita affectus ille, quo infelices hi in extraneos feruntur, ipsos paulatim domesticos corde excludit; quod fit, ut quòd longius progrediuntur, minus erga illos afficiantur, à quibus omne suum bonum & ipsum esse acciperunt; haud aliter ferè ac Luna, quæ, quo crescit amplius, hoc à Sole, lucis fonte, recedit longius. Quòd si conjugio re ipsa illigentur, actum est: tunc enim totum animum avertunt, videturque sibi satis causæ habere, ut dicant. *Oportet uxoris ac filiorum curam habere: Non possum tam multum unum providere.* Verùm parcius ista; neque enim ista vestra distributio præca ac æqua est. Primo loco uxorem

Eccli. 2. 9.

Heuam. l. 3. c. 16.
Heuam. hom. 2.
Cassiod. l. 3. ep.

Leferi
3. sen-
ent. dist.
9.
a
F
r
S
j
v
c
P
e
i
a
P
v
c
i
L. Thom.
1. 2. q. 6.
17. 22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.
31.
32.
33.
34.
35.
36.
37.
38.
39.
40.

ponitis, secundo filios, tertio Parentes, non ita: *Primo loco*, ait S. Ambrosius, *diligendus est Deus, secundo Parentes, inde Filii, postea Domestici.*

X. Plato, qui inter Philosophos ab omni posteritate Divini Nomen obtinuit, in suis libris de Legibus sanxit, ut, si quis ante filios sitis, quam pauperi Patri succurreret, in iudicio reus ageretur, & ad aliorum terrorem severe castigaretur. Inter Theologos S. Thomas, Magistrorum Magister, iudicat, quod inter omnia sanguinis vincula primum sit, quo Parentibus obstringimur; & ideo prae omnibus etiam aliis subvenire iis obligemur, postpositis ipsis etiam Filiis, erga quos quidem Amor magis tenet, qui non ita assurgit, haberi potest; non vero ille, quem dicunt appetitivum, qui altiora spectat, & magis amat, quem pluris aestimat. Et quamvis Uxor, quae una quadam res est cum Marito, videatur in casu aequalis necessitatis ipsis Parentibus praeferi posse, negat tamen S. Thomas id esse veritate consentaneum: quia, utur possit & debeat Maritus Uxorem suam Parentibus praeferre quoad habitationem: *Relinquet homo Patrem & Matrem suam, & adhaerebit Uxori suae?* Non tamen eam praeferre etiam quoad sustentationem poterit, aliaque iis necessaria auxilia praestanda, cum Parentibus quasi se toto hypothecatus sit ante, quam se suae Coniugi obligaret: siquidem Creditores anteriores creditoribus posterioribus, & qui per naturam sunt, iis qui per contractum, postponi non possunt. Et demum

Uxorem unam cum Marito rem esse, quid inde? an igitur in aequali necessitate eam Parentibus anteferre poterit, cum Maritus teacatur Parentes suos in aequali necessitate sibi ipsi praeferre? & tamen expressissima haec Doctorum doctrina est: *In alimento debent valde providere filij parentibus, & magis quidem, quam sibi ipsi.* Ita quidem, ut cum famelico Patre non tantum unum residuum panis bolum partiri conveniat, sed ex iplo nostro eum erucere, ut vitam iis servemus, qui eam nobis dederunt. Haec omnia lumine naturae penetravit Philosophus, dum docuit, filij esse, prius Patris, quam sui curam habere.

XI. Forsan autem huiusmodi doctrinae nunquam in praxin sunt deductae, nec etiamnum, nisi ab uno alterove deducuntur? Chineses Orientis populi, si qui ullibi, bene morati, cum suorum Parentum gravi infirmitati praesentes astant, suis ipsis dentibus carnes ex brachijs suis avellunt, & in potum decoctas propinant, quasi contestaturi, non solum paratos se esse omnes divitias suas, quibus Parentes sustentent, prodigere, sed suam et ipsorum substantiam eos conservare, & si factu esset possibile, animae quoque partem non minus quam corporis subministrare, ut vitam porro prorogent ac ad sanitatem male habentes rediscant. Erabesco hisce cum exemplis filialis amoris erga Parentes impudentissimam Christianorum Filiorum ingratitude conferte; factum tamen, quod S. Bonaventura & insignes alij auctores referunt, omittere non

Abul. in
Matth.
10. 2. 24.

9. Erb.
2. apud
Abul.
1. c.

Barthol.
hisor.
Chin.

Bonav.
serm. 24.

pol-

de x. pra-
ceptis.
Cantipr.
l. 2.
Ap. c. 7.

possum. In partibus Normandia mil-
les quidam locupletis parentis filius,
quamvis ignobilis, ducturus conju-
gem conditione sua majorem ad Pa-
trem accessit, cumque rogavit: vellent
filio bonis suis omnibus iponte cede-
re, velle se vicissim quoad viveret, ita
cum illo agere, ac si rerum dominium
ex toto penes Patrem esset. Restitit
inixio senex; passus tandem est se pre-
cibus expugnari & vinci promissis, ac
contra, quam suadeat Spiritus Sanctus:
*Filio non des potestatem super te in vitâ
tuâ, nec possessionem tuam, ne forte peni-
teat te, & deprecetur pro illis:* annuit
petitis; quo factum, ut contractus
matrimonii illico concluderetur, &
nuptiæ celebrarentur. Nec malè prin-
cipio se res habebant: paulatim tamen
crescente in Uxorem affectu, in Pa-
trem decrecente, eò impietatis pro-
gressus est pessimus Filius, ut senem
Patrem domo sua ejectum paupere tu-
guriò concluderet. Frustra Pater con-
ditiones & pacta cessionis suæ obtin-
dit, frustra lacrymis, lamentis & que-
relis gravem injuriam sibi illatam
identidem profecutus est; filius enim
recalcitrans instar muli magis ama-
bat præsepe repletum, quam Domi-
num, qui replevit. Imo etiam ab Uxo-
re, concitatus non solum, quæ Patri
congruebant, non suppeditabat, sed
ne quidem necessaria subministrabat;
adeo ut Deus tantam non ferens in-
humanitatem ejus esse ultor veller.
Contingit, ut ambo hi conjuges quo-
dam mane bene pinguem gallinam
prandio pararent. Miser senex eo ipso
tempore, quo gallina mensæ infereba-

tur, domus limen attingit. Non potuit
autem tam celeri scalam pede supera-
re, quin filius tempus nancisceretur,
quo gallinam occultaret. Ceterum in
occursum progressus, quid me vis, age-
bat, hoc tempore, an panem non ha-
bes? cumque panis frustum obtre-
sisset, fores festinus occlusit, ipse cum
Uxore sua splendidiore quadrâ fru-
turus. At quam se fecellit! cum enim
penum recluderent, gallinam denovo
mensæ illaturi, non jam gallinam, sed
eandem magnitudine horrificum bato-
nem repererunt, qui è catino in fi-
ciem gestantis profiliens ita carmen
ejus corripuit, ut velut polyplus sco-
pulo adhereret, neque longo anno-
rum spatio ullâ vi avelli posset. In
hunc modum signatus malè mortuus
iste filius perrexit ad quarandum
Episcopum, cui delictum suum con-
fiteretur. Penitentiam hanc nullis, ut
omnes Normandiæ civitates obici-
rem narraret, seque ad terrorem
omnium impiorum in Parentes filio-
rum exemplum proponeret. Deni-
que post multos planctus, & lamenta
plurima valuerunt preces, quæ pro
infelice offerebantur, & ipse etiam
persolvebat, ut feralis iste buso ac fer-
rentissimus, qui omnibus aspectantibus
horrorem incuriebat, subito dispa-
reret, & liberum quidem, sed saluta-
ri timore probe imbutum relinqueret.

XII. Quin etiam, quod mirabile est,
Divina Justitia non solum vult, ut Pa-
tris egestate laborantis, aut senio de-
ficientis necessitati consulatur præ
Uxore, aut alio quocunque, sed etiam
vult, ut hæc ipsa Patris sustentatio
illu-

S. Thom.

2. 2. q.

101. a. 4.

ad 4. q.

2. 2. q.

189. a. 6.

in c.

L. fin.

S. ipsum

autem.

C. de

bon. que

lib.

illis etiam promissis, quæ Deo facta sunt, anteferatur. Hinc, si filius quispian ex unâ parte vorum Religionis etiam strictissimæ emiserit, ex alterâ verò Pater Matêrve victum sibi procurare non valeant, adeoque ex unâ parte Dei honor exsolutione voti promovendus, alterâ Patris sustentatio conquirenda quasi de loco concurrant, Deus suo jure cedit, ac filio permittit, ut domi paternæ subsistat, ac Patri Matrîve de alimentis provideat. Nec concedit tantum, sed etiam præcipit: unde si quis debitum, voto erga Deum contractum, debito erga Patrem vi generationis provenienti vellet antepone, rem Deo gratam non faceret; in cuius rei confirmationem videmus, quod Sancta Dei Ecclesia, ejusdem Dei nomine eò processit, ut illos Superiores à consortio fidelium segregârit, qui eos in Ordinem recipere, ac sacris vestibus induerent, quos lex naturalis, pietas & gratitudo parentibus suis devinctos facit; hi enim tres tituli sunt, quibus omnes prohibentur à suis discedere, nisi de convenienti sustentatione iis providerint. *Jure Sanguinis, Pietatis, & Gratiitudinis.* Quapropter si tantâ se culpâ involvunt, qui Parentes in necessitate constitutos deserunt, animo Deo in Religione quadam sacra serviendi, cujus culpæ rei agentur illi, qui infano quodam impetu abstracti domo abeunt, haud aliter ac hirundines, prius, quàm dignentur bonam impetrare veniam ab iis, qui à teneris illos unguiculis eadem domo receperunt, & tanto cum amore fovèrunt?

XIII. Et quid, si filii non tantum necessitatibus Parentum, dum vivunt, non prospicerent, sed etiam ubi mortem obiêre? faciunt tamen & hoc. Avaritia hosce ingratisimos mortales ita reddit efferatos, ut nullum inhumanitatis genus refugiant: antequam moriantur senes eorum Parentes, malè illos tractant: cum moriuntur, eos impediunt, ne Testamentum condant; cum morui sunt, ultimas eorum voluntates non exequuntur, nec legata extradunt, quasi cum cineribus etiam defunctorum adhuc litem suscipere cogitent. Enimverò quàm pauci illi sunt, qui Parenti defuncto hæc possint verba dicere, quæ Deo Propheta? *Nec oblivii sumus te, & ini- que non egimus in Testamento tuo.* Non oblitus sum tui, ô Pater, nec injustus fui, aut infidelis in Testamento tuo omni cum accuratione executioni mandando. Centum viæ excogitantur, quibus ab impositis Testamento obligationibus exeat; & cum aliud nihil occurrit, dicitur, observari illud non posse; aut saltem induciis bonæ animæ pœnosissimis ita prograhitur, ut diutissime in immani illo igne debitum refrigerium & redemptionem suam expectare cogatur. Interea Ecclesia hæc delicta Afflictarum animarum loco quali sentit, & vult, ut crudelis isthac negligentia sit inter graviora delicta, ac inter magis referata habeatur; id quod in SS. Canonibus præcipit, quibus ab Ecclesiâ arcentur, & Fidelium Albo delentur, qui moras tam perniciosas nesciunt absque causâ justâ. Cum sua Ecclesia etiam

S. Thom. 2. 2. q. 101. n. 4. ad 4. & 2. 2. q. 189. n. 6. in c. l. fin. s. ipsum autem. C. de bon. que lib.

Psal. 42. 17. e. qui obiit 18. q. 2.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*V. Gra. 7.
de casib.
l. 2. c. 20.* Deus fert ægerrimè, qui ob eandem causam familias ac domos evertit, quibus bona, quæ illo loco sine ratione & jure asservantur, concluduntur, adeò, ut idem sit, pecunias pio legato aliorum destinatas à filiis retineri, quod pellem lupi in cumulo lanae, quæ paulatim, utur innocens sit, non potest non pessum ire: & tamen immanes hi filii, nec pietati, nec gratitudini, nec justitiæ, nec Ecclesiæ, nec irato denique Deo cedunt, & quasi extra se rapti à suâ inhumanitate, nec certissimæ & ante oculos posite divitiarum jacturæ cedunt, nec incertis malis, quorum culpam audacter conjiciunt in sexcentas causas falsas, ne veram fateri cogantur.

XIV. Sed redeamus in viam, & campum, utur spatiosum relinquamus aliis, divertere volentibus. Tertio loco Filii præter honorem & auxilium etiam Obedientiam parentibus debent, scilicet, quæ respondeant tertio bonorum generi, quod à Parentibus acceperunt, nimirum educationi, quæ post vitam semel communicatam, vitam alteram, bonorum scilicet morum nobis conferunt. Hæc obedientia in pluribus Sacra Scripturæ locis commendatur. Verùm quo frequentior in Scripturis ejusdem fit mentio, tantò videretur esse magis necessarium, ut à Verbi Dei Præconibus è cathedrâ proponatur. Filii quidem non sunt omnino servi Parentum suorum, subditi tamen sunt; ita ut Dominium paternum principatui comparari possit. Nihilominus perinde ac si Filii cum annis magis ac magis fierent liberi,

semper magis magisque jugum illud excutiunt, quod eis natura imponitur, adeò quidem, ut quandoque spiritibus præbeant, velle illos ac cupere, à Parentibus sibi obedientiam præstari. Et, quod pejus est, cum in confessione gravissimæ hujus noxæ sese agunt, ita perfunctoriè & rem quam levissimam illud proponunt, ut in tandem omnium eorum, quæ dicuntur, hoc tantum adjungant. *Fui quantum inobediens domi.* Explicemus nonnihil, quem inobedientiam modum teneatis. Etenim si res, quæ præcipitur, gravis est, si multum facit ad totius familie bonam gubernationem, si bonis moribus, bonæ famæ, salutis animæ proficuum quid, quibus necessarium est, facile hæc inobedientia ad gravitatem peccati mortalis poterit pertingere. Explico me. Ego qui filio suo præcipiat, ut ne se abiecit huic illive infami Lurconi; in noctu domi se contineat; ut arma non gestet; ut ad ludendum non accedat; ab aleatorum tabernis abiteat; hæc illave conventicula, & bibonam cotus vitet: filius contra fricat frontem, & suo vult indulgere genio, & quandoque etiam proterva verba rogerie, dicendo: *Vos ipsos respicite, ego quod mihi placet.* Exprobrare tantum ac cavillamini, quò magis ac plura ac pejora. Quis jam credat, quòd hæc respondendi ratio, conjuncta cum injuriâ hæc inobedientiâ, in materiâ omnino justâ, non sit peccatum satis grave, præterquam quòd pluribus ad hæc aliis peccatis adjungatur, quæ in his

*Abul. in
Deut.
fel. 113.*

jusmodi occasionibus committuntur? quis neget, hoc modo tam confuso se accusare esse confessionem haudquam satis accuratam? quis non fateatur, eos, qui proposicium isthanc suam proterviâ mutandi non habent ac emendandi in posterum, manifestè incapaces esse abolitionis? & tamen nullo non die talia eveniunt. Si quis Confessarius Audaculorum istorum quempiam reprehendere aggreditur, ipsi contra non modò salutari pudore non suffunduntur, sed omnem mox culpam in Patrè Matrèmq; conijciunt: *Sunt intolerabiles, ajunt, nunquã cessant, aut à reprehendendo quicquam capiunt; impossibile est, eis satisfacere.* Scio, quòd etiam Parentes suo nunquam desint officio; scio, teneri illos benevolentia uti in filios jam adultos, utpote quos oportet auctoritate magis ad venerationem, quàm imperio ad obsequium compellere. Nilominus, si Parens hac in parte deficit, & importunè, quod vult, exigit; cum irâ & fervore nimio in filium agit, an ideo parum piè non se gerit filius, si obedientiam non præstet illi; & multòque magis, si verbis paternam auctoritatem sugillantibus Patri cortigenti respondeat? *Etiã in bonâ causa humilis esse debet filii apud Parentes oratio;* ait Sanctus ille Præsul Salvianus. Quantam & qualemcunq; rationem ac causam habueritis, filii tamen estis, velitis nolitis: unde nunquam licet frivolo hujusmodi prætextu à Parentum imperiis recedere. Irascatur Parens, quantum libet, clamet, cavilletur, in bestia, ut ita dicam,

immigret, nec dum tamen sufficit: uti enim ille per hoc non desinit esse Parens, ita etiam non desinit esse dignus, qui à filiis suis honoretur, & cui per omnia obediatur plus quàm civis Principi irâ exardelcenti. *Filio semper honesta & sancta Patris persona videri debet,* ait lex. Primi effectus legis, quæ Gentium dicitur, sunt, honorate Deum, & Parentibus ac Patriæ subijci. *Effectus juris gentium primævi sunt erga Deum Religio, & ut Parentibus & Patriæ pareamus.* Parentes siquidem & Patria conveniunt quasi sub unâ eadèmq; ratione cum Deo, scilicet, ut supra dictum est, *sub ratione principii.* Et hæc tam in naturâ manifestè fundata obligatio excusatione tam frivola pessumdetur: dicere sufficiat, Parentes ineptos esse ad porro imperandum?

XV. Ego, si in per frequentibus hisce domesticis jurgiis ac litibus mentem meam explicare deberem, dicerem, peccare quidem Parentes in modo, quo magis benevolo ac amabili uti deberent; hanc tamen eorum aberrationem nec unicam, nec primariam esse causam illius inobedientia, quam à filiis sustinent; originem illa longè altiorem, magisque remotam habet. Causa principalis inde sumitur, quòd Filii, dum adhuc sunt parvuli, non benè educuntur, nò castigantur initio, cum audaciùs respondent; non infringantur cornua, cum illa primùm erigunt; unde assueti paulatim, ac à teneris Parentum admonitiones negligere, idq; per indulgentiam eorum, qui eos gubernant, putant

Ff 2 post-

l. libere. ff. de obseq. parent. presam.

l. veluti. ff. de in lit. & Jur.

S. Thom. 2. 2. q. 26. a. 9. in c. & a. 2. q. 101. a. 1. c.

postea adultiores, se esse in possessione, Parentes etiam autoritate vindicandi. Verum est, obsistit Pater, reclamant Mater, ubi Filius adolevit: sed intempestive. Secunda digestio ac concoctio non emendat vitia prima; & flumen, quando erat rivulus, in omnem poterat partem derivari: ubi increvit, viam, quam ipsum sibi invenit, toto impetu pergit proficere. Inculpatis tamen primas tenent continuas illas imprecationes ac execrationes, quae in filios toto educationis temporis Parentibus conjiciuntur, perinde ac si linguas suas manu loco usurparent, damno tam in eos, qui usurpant, quam in illos, in quos usurpatur, usquequaque; maximo redundante. *Non miror*, aiebat Seneca, *si omnia à primâ pueritiâ nos mala sequuntur: inter execrationes Parentum crescimus*. Quod si homo Ethnicus agnovit, quid nos oportet dicere, qui, utpote Christiani, ignorare non possumus, imprecationes istas non ferire aures Dei cuiuspiam marmorei, aut aerei, quas tunc feriebant; sed Vivi & Veri, qui non omittit à caelo etiam demonstrare, eas ad caelum usque pertingere. Et hi sunt fontes certissimi, ex quibus isthoc nostro tempore insolentium filiorum contumacia promanat. Non antè miseri incipiunt crescere, quam incipiunt diris devoveri modò à Patre, modò à Matre, modò ab utroque simul: & sic ad majorem aetate provecti incipiunt exserere execrationum harum effecta, per quae, ceu fulmina tacta: illorum anima & mille malis oppressa in ipsos postmodum Parentes insur-

gunt, in eosque fumum ignemque insolentis proterviae, inobedientiae, & irreverentiae effundunt. Quomodo docunque accidat volo id Parentibus esse persuasum, quòd, si à protervia suis liberis mandatorum transgressione contemptui habeantur, primas sibi id imputant, & postmodum dolent, & postmodum filiorum. Filii autem (ut ad ipsos quoque veniant) sciant, quòd Parentes, quantumque in modo imperandi excedant, tamen iusta praecipiant, audiri debeant, scilicet, qui in terris Dei carios agunt: *Filii, obedite Parentibus per omnia; hoc enim placitum est Domino*. Si Pater nimium imperosus est, non ideo tamen Pater est, aut quidquam de suo jure amittit nec ullam in parte filius in eum dominium acquirit. *Natus ex Patre profuso, in ejus est potestate, & ei acquirit*, ait lex, & qui se videt tradit non ut filium, non ideo confestim omittere poterit tractare Parentes, ac Matrem lugere debet. Uno verbo si Parentes tam magni creditores filii respectu filiorum, ut hactenus intelleximus, nullum est effugium. Nullus debitor creditori suo potest dimittere: ego posthac tibi obligatum non agnosco. *Debitori nunquam licet abdicare creditorem*. Quae ratio est, ob quam dixit Philosophus, quòd filio nunquam liceat Patrem, nec pervertum, à se repellere, licet Patri conveniat jus ejiciendi filium sceleratum.

Seneca
lib. 6o.

II.

XVI. Audistis debitum vestrum, quo Parentibus obligamini. S. Paulus in compendium redigit: *Et mutuam vicem reddere Parentibus*, correspondendo scilicet; vitamque ab illis acceptam obsequiis compensando, reddendo pro alimentis sustentationem, pro instructione obedientiam. Ubi sunt? prodeant modò perduelles illi filii, qui debitum hoc aut non agnoscunt, aut non exsolvunt: neq; enim summo erit opprobrio tantum ingrati notam incurere, sed maximo insuper damno; cum hac in parte, contra quam in aliis debitis fieri soleat, omnia in caput debitoris recidunt. In aliis debitis, cum non exsolvantur, damnum accidit creditori, qui spe suâ ac re defraudatur: in his verò debitori, qui defraudat: unde Apostolus dixit: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut bene sit tibi*. Videtur dicere debuisse: *ut bene sit illis*. Parentes enim honorem, sustentationem ac obedientiam recipiunt, ceu debita tria longè manifestissima. Verùm non ita dixit: *ut bene sit tibi*, dixit: siquidem ò quam caro stat cuicumque filio unò aliquod ex hisce debitis neglectum! majorem longè quam patrens, jacturam faciet. Volunt Doctores, quòd ex ipsâ pœnarum, quæ in reos statuuntur, gravitate, judicium sumatur de mente Principis; quo scilicet rigore ad observationem legis suæ subditos velit obligare. Nos igitur nò solum ex minis, quas in præcepti hujus transgressores inroquet Deus, sed etiâ ex promissis, quæ filiis legem hanc

adimplentibus proponit, argumentari longè magis poterimus, quàm graviter ejusdem executionem exigat atque procuret. Honora Patrem, ait, & Matrem, *ut bene sit tibi*. Non exprimit bonorum quandam speciem, quæ legis observatoribus dare paratus est, nec speciem malorum, quæ transgressoribus intentat; scilicet, ut obsequentes nullum non bonorum genus sperent, transgressores autem nullum non malum expectent. *Ut bene sit tibi*. Bene in animâ, bene in corpore, bene in te, bene in illis, qui nascuntur ex te (ita ut Deus meritum subjectionis, quam Parentibus tuis exhibuisti, cum omni dominio in Filios tuos sit redditurus) bene in hoc Mundo, bene in altero, bene in terrâ, bene in celo, bene ubique: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura*. Contra verò, si non honoraveris illos, qui te genuerunt, boni nihil expecta, nihil hic, nihil illic, nihil in corpore, nihil in animâ, nihil in te, nihil in tuis, in quibus, & forsan de quibus Deus disponet, ut nævi tui & delicta castigentur, permittur, ut eadem prorsus ratione filii tui te affligant, quâ parentes ipse tuos afflixisti. Pessimus quidam filius, & hoc nomine indignus diabolicis furiis actus senem Patrem suum per scalas trahebat, cumq; domus januam jam attigisset, exclamavit Senex: non ultra fili! recordor enim me usque huc, & non ultra Patrem meum raptasse.

XVII. *Ut bene sit tibi*. Ecclesiasticus in summam magis distinctam & claram redigere voluit amplissima

promissionis hujus bona & mala, neque mihi jam aliud occurrit, quam unum alterumve compendium ante oculos vestros statuere, vobisq; postmodum optionem relinquere. Pro filiis quidem morigeris lex Divini favoris habentur: primus est longæ

Eccli. 3. 7. *Eccli.* 3. 6. *Eccli.* 1. 11. *Eccli.* 3. 13.

vita: *Qui honorat Patrem, vitâ vivet longiore.* Secundus est, solatii in hæredibus: *qui honorat Patrem suum, jucundabitur in filio suo.* Tertius est, stabilitatis honorum: *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Quartus est exultationis & exaltationis: *Gloria hominis ex honore Patris sui.* Quintus est, remissionis peccatorum commissorum: *suscipe senectam Patris tui, & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.* Sextus est, felicitatis sempiternæ post mortem: *Honora Patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat.* Hi sunt fructus & gratiæ apud Ecclesiasticum promissæ iis, qui debitum, quo parentibus obstringuntur, præstant. Sed & ex alterâ parte maledictiones audire, quas Deus seu fulmina in immorigeros conjecit. Primum quidem vita immorigeri abbreviabitur, cum æquû sit, ut feudo non potiatur, qui homagium præstare recusat. *Qui maledicit Patri suo & matri, extinguetur lu-*

S. Thom. *Opus.* 6. 7. *Prov.* 20. 10.

cerna ejus in mediis tenebris. Secundo nominis quoque infamiam conciliet. *Quam mala fama est, qui derelinquit Patrem!* Deinde æternarum suarum successum non habebit secundum, sed omnia sentiet ruere in pedus: *Maledictio Matris eradicat fundamenta domus filiorum.* Quarto malum in filiis suis solatium, sed commille tædia ac molestias experientur ex iniquis omnes filii qui nascuntur: *testes sunt nequitia adversus Patrem in interrogatione sua.* Quinto non inveniet, seu maledictus à Deo, suorum peccatorum veniam. *Est maledictus à Deo, qui excasperat Matrem, & qui despicit partem Matris sue, effodiant eum Corvi de Torrensibus.* Ecce! habetis ordine benedictiones & maledictiones, quæ ceu comites hoc præceptum stipant à dextris & à sinistris ad majestatem ei concolliandam; vestrum modò est eligere quod placet. Quis autem ita sui compos erit, ut cum omne bonum habere potest, eligat omne malum? *Honora igitur, honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut bene sit tibi.*